

33.

28. 696
1707. 6.

Dissertatio Juridica,
DE
P R Æ C I S A
P RÆSTATIONE
R E I D E B I T Æ ,
I N S I G N E M NÆV U M J U R I S R O -
M A N I C I R C A H O C A R G U M E N T U M E X H I B E N S ,

QVAM

Annuente **D E O T . O . M .**

I N I L L U S T R I A C A D E M I A H A S S O - S C H A U M B U R G I C A ,

P RÆS I D E .

V I R O C o n s u l t i s f i s m o & E x c e l l e n t i s f i s m o

D N . H E R M A N N O Z O L L I O ,

J Cto, Consiliario Hassiaco & Professore Juris in hac Acad.
Primario p. t. RECTORE ejusdem MAGNIFICO.

P u b l i c æ d i s q u i s i t i o n i s f u b m i t t i t

C A S P A R U S H E N R I C U S W I L L I U S ,

Spangenbergenfis-Hassius,

R E S P O N D E N S .

I N A U D I T O R I O J C T O R U M

A d d i e m 25. N o v e m b r . A n . 1707.

R I N T H E L I I ,

Literis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Univ. Typogr.

Dilectissimo filiis
DE
P R A E C I S A
P R A E S T A T I O N E
R E I D E B I T E
I N S C R I P T I O N E
M A N I C R E A H O C A R A U M E N T U M R E X H I B I T U S
G A M
A u n h e i g e D D O L O M
L u n g e r a i s o d e r a i m s t o r u m u r g i c y
P R A E S I D E
U n d G e d i n g e n i e r u d i l i g e n z
D I . H E R M A N N O Z O L T O
I G O C o n g r a u s H e r r i s & P r e i g r o t e l u r s i n p a c A c q
I f f r i c e o R E C T O R e r a d e r M A G N I C O
C A S P A R U S H E R N I C U S A L L I U S
S p a i d e o p e r i s u r - H e r r
R E T O N I C A
I n A n d i o r d I C O D O
A n d i o r d I C O D O
P i c e s H E R M A N N I A U G S U B E N V I E R T E

97

I.N.D. J.C. A.

§. I.



Xecutionem in rem ju-
dicio petitam & per senten-
tiā adjudicatum præcise
fieri debere, ideoque si cer-
tum corpus actione in rem
vel personam petitum sit
& exter, debitor autem spon-
tē præstare nolit, manu militari auferendum &
actori tradendum aut Judice ita arbitrante, Reum in
litis aestimationem præstito desuper ab actore jura-
mento in item condemnandum esse, communis
& in foro recepta est sententia, gloss Bartol. & Dd.
communiter in l. 68. ff. de R V. §. 2. instit. de Offic. jud.
& in l. 4. §. 2. & l. 5. §. 1. ff. de in lit. jur. Struv. Synt.
jur. civ. Exerc. 17. tb. 61. & Exerc. 44. tb. 18. Brunne-
mann. in l. 5. ff. de in lit. jur. num. 13. 14. Umm. disp. ad
process. jud. 20. num. 4. Hahn. ad Wesenb. tit. ff. de in
lit. jur. num. 3.

A 2

§. II.



§. II.

Similiter recepta est sententia, quod is qui ad dandum vel tradendum obligatus est præcisè dare vel tradere teneatur, nec præstatione ejus quod interest liberetur, *Dd. in l. 75. §. ult. ff. de V.O. l. 25. ff. de contrab. empt. Struv. Exerc. 47. th. 22. Vinn. in princ. instit. de Empt. vend. num. 7.* Unde etiam in specie ad Emptorem & Donatorem dogma illud applicant. *Struv. Exerc. 23. th. 107. & Exerc. 40. th. 12. Vinn. ad d. loc. Brunnemann. & Dd. communiter in l. 1 ff de act. Empt & §. 2. instit. de donat.*

§. III.

Quæ quidem sententiæ sinè dubio naturali æquitati & generalibus juris & justitiae principiis contentaneæ sunt; id enim præstandum quod promissum est. *l. 176. ff. de V.S.* nec aliud pro alio invito creditori obtrudi potest. *l. 1. §. 1. ff. de reb. cred. l. 16 Cod. de solut.* ideoque justè exigi ejusque præstatio præcisè à Magistratu imponi potest, cui jussui, si non obtemperetur, meritò vis & coactio adhibenda est, Magistratui enim sua authoritas constare debet. *l. 2. ff. de just. & jur. l. 19 ff. de offic. præsid. l. unic. pr. ff. si quis jus dic. non obtemp. t. t. instit. de offic. jud.* Et nihil tam naturale est, quam id ad quod præstandum quis suo consensu se obligavit vel alias ipso jure tenetur, exigere & ab invito & contumace per vim extorquere. *Grot. de Jur. B. & P. l. 2. c. 7. §. 2. Puffendorff. de Jur. N. & G. lib. 5. c. ult. §. ult.*

§. IV.

Ut ut autem hæc ita se habeant, dogmata tamen illa

3

illa Juri Romano convenire haec tenus persuasum,
nobis non est, & laterem eos lavare credimus, qui
ea ex Jure Romano adstruere conantur. Nullibi
enim in jure scriptum legitur, quod in istis actioni-
bus quibus de re nostra restituenda, exhibenda aut
reddenda, sive actione in rem vel personam, sive ad
dandum vel tradendum agatur, contumacia Rei
qui restituere, exhibere, reddere, dare vel tradere
jussus est & non paret, aliter quam litis seu rei in
litem deductae estimatione mediante jurejurandō
actoris quod in litem appellatur, determinatā coēr-
ceatur l.1 l.2. §.1. l.5. princ. l.8. l.9. ff. de in lit. jur. l.1.
¶ 2. Cod. eod. l.46. l.47. l.68. l.71. ff. de R. V. l. ult. ff. de
fidejuss. l.48. §.1. ff. loc. cond. l.20. §. ult. ¶ l.25. §. 10. ff.
de bæred. pet. l. ult. §. 14. in fin. Cod. de jure delib. l.7.
ff si serv. vind. l.16. §. 3. ff. de pign. l.5. §. 2. ff. commod.
l.1. §. 26. ff. depos. l.18. ff. de dolo malo l.8. §. 1. l.9. l.10. ff.
rer. amot. l.15. §. 9. ff. quod vi aut clam. l.8. §. 4. ff. de pre-
car. l.1. §. 41. ff. de vi ¶ vi arm. l.9. C. unde vil. 3. §. 2.
l.5. §. 2. ff. ad exhib. l.5. Cod. eod. §. 2. ¶ 3. inst. de
Offic. jud.

§. V.

Nec ad rem facit quod Ulpianus scribit in l.68.
ff de V.S. ex quo textu Dd. sententiam suam de vio-
lenta ablatione rei stabilire solent, scilicet: *Qui*
restituere jussus, iudici non paret, contendens non posse
restituere, quidem habeat rem, mena militari officio
iudicis possesso ab eo anferatur. Ut enim præterea-
mus censuram Antonii Fabri lib.16. conjectur. c.17.
qui audacter pronunciat, ne unum quidem verbum
esse

bpc
 esse in tota illa lege quod Ulpiano adscribi debeat,
 omnia esse Tribonianii, & Hüberum utcunque
 omnem lapidem ad refellendam illam censuram in
 sua Eunomia Juris Romani in *d.l.* moveat, hunc
 textum à Triboniano aliquatenus interpolatum
 esse, non diffiteri: Ex ipso textu prout jacet, evi-
 dēt est, causam istius militaris executionis non esse
 solam contumaciam, sed simul mendacium, in quo
 deprehensus erat Reus contentendo se non posse
 restituere, cùm tamen haberet, quod præsertim in
 iudicio rei vindicationis extra ordinem coërceri
 solet Jure Romano *arg. l. ult. ff. de R.V.* Ubi simi-
 liter Reus rei vindicatione conventus, si se posside-
 re neget & mendacii convictus sit ab actore, in
 poenam istius mendacii amissione possessionis, licet
 actor suam esse non probaverit, mulctatur. Nec
 immeritò cùm extra ordinem & acrius ut vulgo
 coërceri debeat, qui judicem decepit vel decipere
 conatus est *arg. l. 15. 16. 17. ff. de his, qui not. infam.*

§. VI.

Alioquin autem possessionem ab aliquo manu
 militari vel ministrorum & apparitorum auferre
 remedium est aliquod extraordinarium & minus
 civile, id est Juri Civili minus consentaneum *l.i. §. 2.*
ff. si ventr. nom. mal. in possess. miss. l. ult. §. ult. ff. quod
met. caus. l. 3. pr. ff. ne vis fiat ei. qui in poss. miss. erit.
 nec locum habet, nisi in casibus specialibus, scilicet
 si possessio per mendacium dicat se non possidere,
 ideoque non posse restituere, uti in *d.l. 68. ff. de R.V.*
 vel si cautionem de damno infecto præstare quis
 re-

¶ s. ¶

699

recuset, l. 15. §. 23. ff. de *damno infecto*, aut si quis fideicommissi servandi causa in possessionem missus non admittatur d. l. 3. pr. ne vis fiat ei qui in poss. miss. est; Item, si servum quis evicerit eumque abducere velit, hoc enim in casu Dominus litis aestimationem pro eo accipere non cogitur, uti notanter ait Papirianus in l. 36. ff. de *liberali causa*, & ex eo evidenter apparet, Dominum ad litis aestimationem accipiendam regulariter cogi posse.

§. VII.

Neque enim in arbitrio judicis est, an velit iuramentum in litem deferre, an manu militari possessionem Reo auferre, uti vulgo Dd. existimant, arg. l. 4. §. 2. & l. 5. §. 1. ff. de in lit. jur. Quin potius si judex oblata litis aestimatione a Reo militarem executionem decernat, appellatio locus est, uti recte notat Bachov. disp. 7. de action. th. 8. in fin. Quod enim in d. l. 4. & l. 5. dicitur, in arbitrio judicis esse, utrum deferre velit actori jusjurandum in litem nec ne? Hoc eo pertinet, ut judex quidem eo casu quo res adhuc extat, non praecise cogatur iuramentum actori deferre & per hoc litem aestimare, sed ipsi liberum sit etiam citra iuramentum ex aequo & bono litem seu rem de qua litigatur & quidem praesentem aestimare. l. 1. §. 41. ff. de vi & vi armat. §. 3. instit. de offic. indic. Bartol. in l. 4. §. sed an ff. de in lit. jur. Anton Faber. lib. 16. conject. 17. pag. 355. secus ac in casu quo res amplius non extat, ideoque a judece aestimari nequit, tunc enim aestimatio fieri debet prævia delatione jurisjurandi in litem.

l. 5.

ppc

l. 5. §. ult. ff. de in lit. jur. l. 68. ff. de R. V. exceptâ actione dolî, in qua re licet extincta judex ipsem̄ sine delatione juramenti litem protinus aestimare teneatur l. 18. §. 1. ff. de dol. mal. Nullibi autem in Jure Romano de tali arbitrio judicis quo ob contumaciam Reo vel possessionem manu militari auferre vel in litis aestimationem eum condemnare liceat quid cautum invenitur, quin potius officium ejus ad ordinarium remedium scilicet condemnationem in litis aestimationem est adstrictum d. §. 2. & 3. inst. de offic. jud. & text. supra §. 4. relatis.

§. VIII.

Ostendit hoc ipsum formula, quæ in his actionibus arbitrariis olim judicii præscribebatur, quam & quidem in rei vindicatione usitatam refert Cicero 4. in Verrem, his verbis: *Si appareat rem de qua agitur, Tuii esse & ea res arbitrio tuo non restituatur, judex condemnatur*: Ubi judici eo casu quo arbitrio ipsius (quo nomine ejus sententia venit, quâ Reum secundum petita actoris in restitutionem rei condemnaverat) non paruerit, manu militari rem à possessore auferre non conceditur, sed ipsi tantum injungitur, ut Reum condemnet. In quid non in restitutionem rei, quippe in quam Reum jam ante condemnaverat, sed in litis sive rei in item deductæ aestimationem jurejurando actoris, aut si actor jurare nolit, judicis officio determinandam. Praxin hujus rei in vindicatione pignoris suppeditat Marcianus in l. 16. §. 3. ff. de pign. & hypothec. ibi: *Si verò Reus hypothecaria actione con-*

300

conventus pignus possideat, & ad jussum judicis
aut pecuniam solvat, aut rem restituat, aequo. absolu-
vendus est: Si vero neutrū horum faciat, con-
demnatio sequetur, scilicet in id quod interest acto-
ris neutrū esse factum.

§. IX.

Unde porrò apparet in his arbitrariis actioni-
bus (quale nomen ex isto judicis arbitrio sortiun-
tur) duplēm intervenire sententiam unam inter-
locutoriam jussum scilicet seu arbitrium judicis de
restituendo vel exhibendo, alteram definitivam
quæ litem terminat absoluzione aut condemnatio-
ne, prout Reus præcedenti arbitrio judicis paruerit
aut non paruerit, quæ veteribus absolute sententia
dicitur. *Vinn. in d. §. præterea 31. in s. de act. n. 3. & 4.*

§. X.

Jussus autem judicis de re restituenda vel ex-
hibenda omnino præcedere debet, nec liberum est
judici actore rem sibi restitui aut exhiberi petente
Reum in litis aestimationem, adeoque in aliud quid
statim condemnare *l. 18. ff. commm. div l. ult. Cod. de
fideicommiss. libert.* sed tum denum ad litis aestima-
tionem iudex procedit, quando Reus judicis arbi-
trio non paret, ultra autem & quidem ad ablacio-
nem rei per manum militarem ejus potestas de Jure
Romano se non extendit, etiamsi istam executionem
enixè urgeat actor.

§. XI.

Sanè diffiteri non licet condemnationem illam
in litis aestimationem libello & petitioni actoris

B non

non congruere uti quidem debebat ,sententia enim conformis debet esse libello l. ult. C. de fideicomm. libert. nec judex præter vel ultra petita decernere debet l. 18. ff. comm. divid. ac consequenter hoc pacto aliquem invitum re sua carere & alteri vendere cogi (quod sinè dubio iniquum l. 11. Cod. de contrah. empt.) Nihilominus tamen de Jure Romano non aliter obtinet , uti ex textt. supra §. 4. citatis & cumprimis ex l. 20. §. ult. l. 25. §. 10. ff. de hered pet. l. 8. §. 1. l. 9. l. 10. ff. rer. amot. l. ult. ff. de fidejuss. l. 8. ff. de in lit. jur. l. 1. Cod. eod. l. 10. pr. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv. perspicuè appetet.

§. XII.

Qua ratione autem Romani hâc in parte à Jure Naturali recesserint nuspia diserte expressum invenitur; An ergo hoc placitum inter ea recensendum quorum ratio reddi non potest? Non arbitramur; Sed sinè dubio hoc intuitu litis aestimationem admirerunt , quod existimaverint hoc ipso quo Dominus non tantum pretium rei suæ quod loco rei succedere solet, ideoque qui pretium habet rem ipsam habere videtur l. 22. ff. de pet. hered. l. 35. §. 1. l. 39. ff. de usufruct. Sed etiam ratione damni & indignationis quam patitur, dum invitus re sua carere cogitur , tantum consequitur, quantum juramento in item ipsummet rem aestimaverit Dominum nihil habere de quo amplius conqueri possit, ideoque sufficiens & civilius hoc remedium coercendæ contumaciæ quam violentam rei ablacionem , ad quam, quia facile occasionem tumultus præ-

præbet, non nisi urgente necessitate, si scilicet negotium aliter expediri nequeat, in libera Republica deveniri debere crediderunt: Sed noxia, me hercle! hæc Philosophia est, quæ aliud pro alio, illiquidum pro liquido invito obtrudi vult: Juris enim sui præcisa executio nullam habet injuriam *l.15. §. 1. ff. de injur.* nec invitus quis debet re sua carere, etiamsi duplum pretii ipsi offeratur *l.11. Cod. de contrab. empt. l. 6. Cod. de rescind. vend.* Unde etiam hoc jus inter abrogatum seu potius non receptum merito refertur, *Vinn. in d. §. 31. inst. de act. num. 4. Christin. vol. 2. decis. 191. num. 3.*

§. XIII.

Quemadmodum igitur de Jure Romano, ne quidem eo casu quo quis rem suam ab alio sibi restitui aut exhiberi petebat violenta rei ablatio locum habet, ut supra ostensum; Ita multo minus in iis actionibus quibus quis alterum ad dandum seu dominium rei suæ in petitorem transferendum (siquidem dare est dominium transferre *§. 14. inst. de act.*) aut ad tradendam vacuam possessionem convenit, talis violenta rei ablatio obtinet, sed etiam iis casibus judex & quidem citra jurisjurandi delationem in id quod interest aetoris rem non dari, Reum ob contumaciam in dando commissam condemnat: Sic enim mutuo datō vinō vel simili re fungibili, si debitor idem genus & ejusdem qualitatis & bonitatis habeat, solvere autem nolit, in aestimationem condemnatur atque ita aestimatio creditori etiam invito contra regulam naturalem,

B 2

in

10

in l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. l. 16. Cod. de solut. obtruditur l. vimum 22. ff. de reb. cred. Struv. Exer. 8. th. 37. Eademque est ratio in aliis condictionibus quibus rem nobis reddi intendimus d. l. 22. ff. de reb. cred. l. 48. §. 1. ff. loc. cond. l. 5. §. 2. ff. commod. l. 1. §. 26. ff. depos.

§. XIV.

Similiter ubi ex obligatione ad dandum agitur, nusquam legimus debitorem præcisè & adeo ad dandum teneri, ut si nolit per vim ei extorqueri res possit, uti vulgo Dd. existimant. arg. l. 68. ff. d. R V. & l. 75. §. ult. ff. de V.O. l. 25. §. 1. ff. de contrah. empt. Quodenim d. l. 68. attinet, ejus intellectus ex iis quæ supra §. 5. retulimus ad paret, ut taceamus, textum illum nominatim agere de rei Vindicatione, quâ rem nostram nobis restitui petimus, ideoque ad eas actiones quibus intendimus adversarium dare oportere male applicatur. Nec magis sententiam communem juvat d. l. 75. §. ult. de V.O. Ubi Ulpianus scribit: *Hec stipulatio: Fundum Tusculanum dari: ostendit se certi esse, continetque ut dominium omnimodo efficiatur stipulatoris quoquo modo.* Si quidem JCrus ibidem tantum indolem stipulationis dandi & quid ea contineat demonstrat, scilicet ut hoc in casu debitor obligationi suæ non satisfaciat, si rem promissam tradat, sed simul requiratur, ut propriam non alienam det atque ita dominium in stipulatorem transferat, nullo verbô autem indigitatur, quod, si promissor rem habeat & dare nolit, res per vim ab ipso auferri & stipulatori tradi debeat Imò.

Imò in obligationibus dandi contrarium ejus, scilicet quòd, si debitor dare nolit aut det quidem sed alienam, ad interesse teneatur, traditur l.5. §. 1. ff. de præscr. verb. Unde etiam genuinus sensus d. l. 25. §. 1. ff. de contrah. empt. appareat, qui enim vendidit necesse non habet fundum emptoris facere, sed sufficit, si tantum vacuam possessionem transferat, et si res sit aliena l. 28. ff. de contrah. empt. At qui fundum dare promisit, non satisfacit obligationi suæ et si fundum tradat, nisi simul tradentis proprius sit, d.l.75. §. ult. ff. de V.O. d.l.5. §. 1. ff. de P.V.l.1.pr. & §. 3. ff. de rer. permut.

§. XV.

His præmissis de efficacia ejus obligationis qua quis non quidem ad dominium transferendum, sed tantum ad traditionem vacuæ possessionis tenetur & nominatim de Venditore videbimus, de quo argumento jam olim fuit & adhuc hodie acris inter Doctores est controversia. Evidem faciliè largimur æquitati minime convenire, ut Emptor præcise teneatur pretium solvere, Venditor autem contrà non teneatur tradere: Ut Emptor rei periculum sustineat rem tamen consequi non possit: Denique ut propter fraudem Venditoris fidem conventionis adimplere, cùm potest, recusantis, Emptor probationi difficillimæ ejus quod interest (quod propter suam incertitudinem plerumque ad exiguum summam deducitur l. ult. ff. de præstip.) adstringatur. Nihilominus tamen quoad Jus Romanum linè dubio verior est illorum opinio quieo Jure Ven-

505

Venditorem ad præcisam traditionem non teneri,
sed præstatione ejus quod interest suâ obligatione
defungi posse afferunt, utpote quorum opinio non
tantum rationi Juris Romani apprimè convenit, sed
etiam tot perspicuis juris textibus firmatur,

§. XVI.

In genere enim constat, quòd is qui se facturum
aliquid promisit ad factum præstandum præcisè
non teneatur, sed præstanto interesse liberetur *l. 72.*
ff. de V.O. l. 13. ius fin. ff. de re judic. § ult. insit. de V.O.
Atqui fundum tradi est factum *d.l. 72. pr. & l. 75. §. 7.*
ff. de V.O. ubi nominatim etiam inter facta refertur.
Quamvis autem tale nudum factum, ut e.gr. *fossam*
fodere, tabulam pingere, insulam fulcire: non sit, sed
potius causam bonorum contineat, id est ex hoc
facto possessio & dominium nobis acquiratur *l. 52.*
§. 1. ff. de V.O. nec ullam molestiam corporis desideret,
sed nuda patientia præstari possit: Est tamen
& manet talis promissio: *fundum tradi*: obligatio
faciendinon dandi *l. 25. §. 1. ff. de contrah. empt.* Imò
estis ad dationem referri possit, nihilo magis obli-
gabitur Venditor ad præcisè tradendum, sed præ-
stanto interesse sua obligatione æque defungi pot-
est, quandoquidem obligations dandi & faciendi
in hoc non differunt per tradita supra *§. 14.*

§. XVII.

In specie autem quoad hunc contractum Imperator Justinianus rescritbit, quòd pretio statuto
necessitas Venditori imponatur vel contractum-
venditionis perficere, vel id quod Emptoris interest
ei

ei persolvere l. 17. Cod. de fide Instrum. Quamvis enim obligatio Venditoris per se non sit alternativa sed Emptor ab initio ad traditionem reiemptæ agere & iudex etiam Venditorem in traditionem rei condemnare possit ac debeat, per accidens tamen si scilicet Venditor nolit tradere, exitum alternativæ obligationis sortitur, quò Justinianus hīc respexit. Hoc itaque sensu utique alternativa dicitur Venditoris obligatio, ejusque contumacia in non parendo sententiæ & iussui judicis commissa, sola condemnatione in id quod interest, mulctatur. Quòd si autem alio modo rumpat fidem contractū, scilicet eandem rem alteri vendendo, pœna falsi coeretur. l. 21. ff. ad l. Corn. de falf. & Stellionatus, si obligatam pro libera vendiderit. l. 3. §. 1. ff. Stellionat.

S. XVIII.

Porrò idem docet Ulpianus in l. 1. pr. ff. de act. empt. Si res vendita non tradatur in id quod interest agitnr. Dicit JCtus indefinitè; Si non tradatur; Ideoque sive nolit sive non posset tradere Venditor; Unde perperam hoc restringitur ad casum quo tradere non potest, quin potius verba illa: Si non tradatur ad eum casum pertinent quo rem habet & tradere potest, si enim rem non habet tradere non potest & consequenter traditio inepte desideratur; Et ut nullus dubitationi locus relinquatur, Celsus in l. 12. ff. eod. perspicuè scribit; Si quod extraxit piscium (piscator & Venditor) reddere mihi noluit, id estimari debet, quod extraxit. Similiter Impp. Diocletianus & Maximianus in l. 4. Cod. de act. empt.

re-

205

rescribunt his verbis: *Si traditio rei venditae juxta
emptionis contractum procaciā Venditoris non fiat:
Quantiintereste compleri contractum fuerit, arbitra-
tus Præses provinciae tantum in condemnationis ta-
xationem deducere curabit.* Et Paulus casum pro-
ponit quo debitor qui voluntate creditoris pignus
vendiderat, sed quia non tradebat, cùm tamen rem
habebat & tradere poterat, in id quod interest con-
demnatus erat & hoc modo rem retinuerat: ibique
decidit, quòd pignus hoc casu adhuc salyum sit cre-
ditori. *l. 10. pr. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.*
Similiter Venditorem carnis qui fide conventionis
ruptâ tempore placito carnem non exhibuit, ad in-
teresse conveniendum esse rescribunt Imperatores
in *l. 10. Cod. de act. empt.*

§. XIX.

Licet autem hæc adeò perspicua sint, ut acutis-
simus ille Juris Romani Indagator, *Antonius Fäher*
in tractatusuo de erroribus Pragmaticorum *decad.*
85. err. 4. non immerito miretur aliquos in dubium
vocare hanc doctrinam & ægre ferat, esse, qui: *quòd
Venditor præcisè teneatur tradere:* adhuc sentire-
ausint & perseverent. Sunt tamen qui adhuc hodie
communem illam sententiam de præcisa traditione
Juri Romano convenire omni nisu contendunt,
inter quos novissime Celeberrimus ille *JCtus Frisi⁹*,
Ulicius Hüber, qui in opere suo posthumo cuius
inscriptio est: *Eunomia Romana seu Censura Censuræ
Juris Justinianei ad l. 25. §. 1. de contrab. empt.* scribit,
aliando majori specie rationis alios non posse satis-
mirা-

707 5



15



mirari, viros graves & prudentes in eam potuisse
devenire sententiam, ut à libidine Venditoris suspen-
dant implementum contractū frequentissimi &
generi humano maximè necessarii, velitne rem ven-
ditam tradere quam habet in manibus, an præstando
id qvod interest se liberare malit &c. eamque absurdam
dam vocat, ideoque indigne fert, quod Celeberrim⁹
Wissenbachius eandem sententiam in publicis di-
sputationibus propugnaverit.

§. XX.

Sed veremur ne illa reprehensio quā in Interpre-
tes juris & cumprimis Præceptorum suum Wissen-
bachium invehitur, non in hos, sed in ipsos Romani
Juris conditores redundet & Hübnerus hoc ipso qvo
iniqva Juris Romani placita contra æquas censuras
JCTorum defendere conatur (uti ex professo Juris
Romani patrociniū in dicto tractatu suscipit) repre-
hensionis notam incurrat & risum mereatur. Neque
enim Wissenbachius aut alius quispiam sanæ mentis
de eo dubitat quin sententia illa simplicitati naturali
adversetur: Sed quæstio est quid Jure Romano quod
hactenus tanquam jus aliquod commune ubique
terrarum receptum est in hoc arguento statuendū
fit? Et secundum hoc recte decidit Wissenbachius:
*Venditorem præcisè tradere non teneri sed præstando
interesse liberari.* Nec adhuc aliquid apud Hübnerum,
JCTum alioquin Excellentissimum deprehen-
dimus quo contrarium evincatur.

§. XXI.

Nam ut breviter argumenta ejus dispiciamus,

C

quod

¶

quod ille contendit, verba textus in l. i. pr. ff. de act. empt. in quibus Venditor non tradens ad interesse teneri dicitur, non esse intelligenda ac si per hoc interesse res ipsa aestimetur, sed quod tantum propter illam contumaciam, quod debito loco & tempore vel alias secundum conditionem contractus res non fuerit tradita, venditor quidem ad interesse teneatur, seorsim tamen adhuc res ipsa ab Emptore peti possit: insulsum est. Esto enim quod in omni contractu is qui fidem rumpit, teneatur simul in id quod interest ob moram à se commissam & ad rem ipsam quam debet, praestandam, & utrumque vel simul vel seorsim peti posse: Hoc tamen certissimum est, quod, si res ipsa sive simul sive seorsim petatur & debitor eam tradere nolit, res ipsa eidem per vim non afferatur, sed debitor ob contumaciam suam commissam in aestimationem rei petitæ condemnetur, per ea quæ supra ex indole Juris Romani retulimus & in specie in hoc argumento per text. in l. 12. ff. de act. empt. l. 4. Cod. eod. Imò verba illa: *Si Venditor non tradat, tenetur ad interesse l. i. pr. ff. de act. empt.* non de aestimatione contumacia tantum, sed etiam ipsius rei venditæ pretio disertè loqvuntur: Ulpianus enim ibidem docet, *quod hoc interesse interdum rei venditæ pretium,* (quod Venditor ab Emptore antea acceperat,) egrediatur, *spluris intersit quam res valet vel empta sit.* Ecce! hic sub eo quod interest & pretium & quod pluris interest continetur.

§. XXII.

Confirmat idem Celsus in emptione jactus retis
&

& piscibus à pescatore extractis, dum ait: *Si, quod pescator extraxit piscium reddere mibi noluit, id est mari debet quod extraxit,* l. 12 ff. de act. empt. Item Paulus in d. l. 10. pr. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv. ubi exemplum proponit quo Venditor qui à creditore consensum de vendenda hypotheca impetraverat, ideo quia non tradebat, in id quod interest condemnatus, rem retinuit, & hoc pacto jus pignoris in illa re quod alioquin (quia res voluntate creditoris erat vendita) insecura traditione extinctum fuisset, creditori conservatum fuit. Et Impp. in d. l. 10. Cod. de act. empt. rescribunt, carnis venditis nec traditis, non carnes sed interesse restituere teneri Venditorem.

§. XXIII.

Sed quid ad hæc Hüberus? Nihil! præterquam quod ad l. 12. ff. de act. empt. & l. 10. Cod. eod. respondet, Celsum in d. l. 12. non negare pisces extractos peti potuisse & petitos pescatorem præcisè tradere debuisse, sed ideo quia pisces vivi moram judicij non ferrent, sed sine dubio interea putrescerent, Celsum de petitione piscium nihil dixisse, utpote qui risum debuisset lectoribus, si de piscibus vivis iudicio licere contendere dixisset, sed pro circumstantia hujus negotii æstimandos esse pisces voluisse, idemque de carnis in d. l. 10. Cod. de act. empt. intelligendum esse existimat. Sed ineptiæ sunt pro palliando hoc nævo Juris Romani invita Minerna adductæ.



§. XXIV.

Nam uti facile largimur, quod pisces extracti sicut quæcunque res aliæ venditæ actione ex empto peti potuissent, ita negamus, quod pescator præcisè ad traditionem piscium cogi potuerit, & omnino risu se exposuisset Celsus, si contra jus receptum pescatorem ad præcisam traditionem piscium adstringere voluisset. Quid enim notius quam possessorem rei nostræ ex jure in re vel contractu ad restitutionem ejus conventum restituere rem à judece quidem juberi posse, sed si jussu non pareat, non aliter quam condemnatione in litis aestimationem cogi posse? quid notius quam quod is qui ex permutatione (contractui emptionis vicinâ l. ult. ff de rer. permut.) ad dandum obligatus est, non aliter quam conditione ejus quod ipsi datum est vel condemnatione ad id quod interest actoris cogi possit? Qui ergo melioris conditionis deberet esse Emptor qui tamen ne quidem rem suam sibi restitui, sed alienam tantum sibi tradi intendit? Nonne ex solo Ulpiano & Paulo in textt. supra allegatis idem juris in Emptore receptum esse constat?

§. XXV.

Ineptum itaque est id quod Celsus & Impp. in dictis textt. tradunt pro exceptione à regula quæ haec tenus ne hilum quidem ostensa est, venditare, præsertim cùm nulla exceptionis vera & solida ratio subsit: Celsus enim tam casum proponit quo de contractu liquido conitat pescator autem pisces ex vendito retis jactu extractos restituere renuit, nullo ita-

itaque judicio h̄ic opus est, sed Magistratus aditus pisces extractos tradere aut si Venditor tradere nolit eorum aestimationem Emptori solvere jubet: H̄ec est sententia Celsi nostri ex textu perspicua & plana. Et quidn̄ sine ulla mora adiri Magistratus & ab eo in reliqua & suā naturā celeris expeditio- nis executio in continentि fieri poterit antequam pisces & carnes putrescerent? *arg. l. i. §. 12. ff. de oper. nov. nunc.* Quid si hyeme pisces sint extracti aut etiam aestate & in vivario asservati, ut moram aliquam judiciale admittant? Et quidn̄ etiam caro recens nedum salsa vel fumata etiam in aestate, multò magis hyeme vendita tantillam moram ad eundi judicem & executionem urgendi ferre potest? Inanes nugae h̄ae sunt pro patricinio Juris Romani contra ejusdem analogiam, quā violenta rei ablatio à possessore pro remedio extraordinario habetur, frustrā excogitatae, prout supra §. 6. ostensum est.

§. XXVI.

Ex quibus etiam Vinnii in Commentario suo ad *Institutiones pr. de Empt. vend. num. 7.* & aliorum communis sententiae propugnatorum explicatio d. l. 4. *Cod. de act. empt.* ubi, dum contra ejusmodi clarum textum nullum effugium vident, existimant, posse quidem Emptorem eo casu quo Venditor ex procacia tradere non vult ultro omissa petione rei agere, ut consequatur quod sua interest, refellitur. Actio enim ex empto non est comparata ad consequendum interesse, sed ad tradendam rem cum fru-

205

fructibus & accessionibus post venditionem perceptis. *Struv. Exerc. 23. th. 107.* Ideoque Venditoria procacia desistendo & rem tradendo condemnationem ad interesse evitare semper integrum manet, sed judex demum Venditorem in contumacia perseverantem ad interesse tanquam in pœnam contumaciae condemnat, & hâc pœnâ Emptor non-lens volens contentus esse debet. *d.l. 4.*

§. XXVII.

Neque sententiam nostram afficit aut communem juvat, quod passim in jure traditur: Venditorem teneri rem ejusque vacuam possessionem tradere: necessitatem tradendi ipsi incumbere: Imò cogi venditionem implere & compelli rem tradere: Utique enim Venditor ex natura contractus ad tradendam rem venditam tenetur, idque etiam ab Emptore in libello peti potest & judex ad tradendum Venditorem condemnare debet, sed sententiam suam de Jure Romano præcisè exequi & rem violenta manu auferre ei non licet, quin potius contumaciam Venditoris qui jussui judicis non paret civiliori remedio, scilicet condemnatione in id quod interest Emptoris rem non fuisse traditam, coercere debet, uti talis pœna & non alia Jure Romano ejusmodi contumaciae est præstituta, perjura supra §. 4. adducta. Nec est quod urgeatur locutio illa: *compelli vel cogi* Venditorem tradere, siquidem verba illa civiliter & secundum analogiam Juris Romani sunt intelligenda, & omnino etiam compellitur vel cogitur Venditor hoc

hoc ipso tradere, dum non impunè fert contumaciam in tradendo commissam, sed hâc commissâ ad id quod Emptoris interest condemnatur, quod sæpius verum rei pretium aut quod antea Emptor dedit, egreditur *d.l.i. ff. de act. empt.* Imò verbum cogi pro teneri JCtis usurpari ex *l. 25. §. i. ff. de contrab. empt.* liquet; Ubi Ulpianus scribit. *Qui vendidit necesse non habet fundum Emptoris facere, ut cogitur, qui fundum stipulandi sponsavit.* In hoc enim Venditor cum promissore ex stipulatione, quidem convenit, quòd neuter per vim cogatur, fundum creditor tradere, ut supra §. 14. evictum est. Sed in eo utriusque obligatio differt, quòd Venditor non teneatur dominium transferre, sed satisfaciat obligationi, si modò vacuam possessionem tradat & rem habere licere præstet, etiamsi aliena sit *l. 28. ff. eod.* Qui autem ex stipulatione dare promisit fundum, non satisfacit obligationi si alienum tradat, sed proprium tradere tenetur, aut si alienum tradit omni modo efficere tenetur, ut ejus Dominium ad stipulatorem perveniat *l. 75. §. ult. ff. de V. Obl. junct. l. i. pr. & §. 3. ff. de rer. perm. l. 5. §. i. de P. S.*

§. XXVIII.

Similiter non obstat nostra sententia argumen-
tum illud ex *l. 6. Cod. de resc. vend. junct. l. unic. Cod.*
de sent. que pro eo, quod interest prof. petitum.
Nam quod in *d.l. 6.* dicitur, quod Emptor duplò etiam pretii sibi oblatò ab emptione recedere non cogatur, intelligendum est de emptione non nudo
con-

consensu perfecta, sed simul rei traditione consummata uti ex toto titulo *Cod. de resi. vend.* & subjectis eidem legibus apparet; idemque in specie ex eadem l. 6. liquet, dum Venditor Imperatoribus ibidem supplicat, ut Venditio rescindatur & res vendita ipsi reddatur, quo sanè Venditor opus non habuisset si adhuc in possessione fuisset, siquidem renondum tradita eti premium solutum sit Venditor adhuc Dominus est eamque alii vendere potest. §. 3. *instit. de empt. vend. l. 14. pr. lff. de furt. l. 50. ff. de R. V. l. 6. Cod. de hæred. vel act. vend. l. II. Cod. de act. empt.* Ut bene animadvertis & ad hanc objectionem respondet *Wissenbach. disput. ad ff. 37. thes. 2.*

§. XXIX.

Multò minus ad rem facit, quòd Venditor, si Jure Publico ei concessum esset rem venditam, quam tradere potest, non tradere, modò pati velit se condemnari in id quod Emptoris interest, non tradens aut facultatem tradendi sibi adimens dici non possit frangere, rumpere contractus fidem, uti tamen dicitur in l. 6. *Cod. de hæred. Vend. l. 10. Cod. de act. empt.* Ut ut enim hoc argumentum naturaliter non parum stringat, Jure Romano tamen non procedit: Sine dubio enim Tutor, qui rem pupilli quam habet restituere recusat, fidem violat, contumacia tamen ejus non aliter quam litis aestimatione coercetur l. 8. *ff. de in lit. jur.* Commodatarius, Depositarius, Conductor omnino fidem contractus rumpunnon restituendo rem

rem commodatam, depositam aut locatam, solamen præstatione litis æstimationis perfidiam lunt *l.3. §.2. ff. Commod. l.1. §.1. ff. depos. l.48. §.1. ff. loc. cond.* Locator expellendo Conductorem antefinitum contractus tempus rumpit fidem contractus *l.15. Cod. de loc. & cond. verb. rupta conventionis fide*: Conductor tamen ad restitutionem rei locatae agere nequit, sed præstatione ejus quod interest vel condemnatione in pœnam conventioni adjectam contentus esse tenetur *l.1. §.10. ff. de vi & vi arm. l.15. §.8. l.54. §.1. l.33. ff. loc. cond. l.15. Cod. eod.* Idemque etiam de Venditore qui carnes debito tempore non tradidit nominatim traditur. *l.10. Cod. de act. empt. verb. fide conventionis rupta.*

§. XXX.

Firma igitur ac vera manet sententia, quod Jure Romano Venditor præcisè tradere non tenetur, sed præstatione ejus quod interest libetur; Eaque etiam in Donatore locum habet. Quod enim Justinianus huic necessitatem tradendi rem donatam imponat & compellendum esse Donatorem ejusque hæredes ad tradendam rem donatam velit *l.35. pr. & §.ult. Cod. de donat. Novell. 162. c.1. §.1. ex quo Struvius Exer. 40. tb.12. cum communi Dd. schola in d.l.35. & §.2. inst. eod.* præcisam traditionem Donatori injungit, ad rem non facit. Siquidem Imperator ibi quidem exactionem rei donatae Donatario concedit atque ita ius vetus, quo pactum de donando uti alia pacta nuda actionem in foro efficacem non producit, corrigit. Ex eo autem

D

in-

inferre non licet, quod Donator praevisse tradere tenetur nec praestando interesse liberetur, ut alioquin in omnibus aliis negotiis & contractibus quibus quis dare vel tradere tenetur juris esse ex ante dictis constat, quin potius hoc civiliter & secundum indolem Juris Romani intelligi oportet, nimisrum quod Donator rem donatam tradere aut interesse praestare teneatur. Ad quod alioquin ante Justiniani constitutionem conveniri non poterat. *arg. §. 2. instit. de donat.* Ubi Imperator voluit, ut donatio ad exemplum Venditionis in se habeat necessitatem traditionis, unde patet, quod Donatori nulla major necessitas tradendi rem donatam incumbat quam Venditori, ad cuius exemplum vel similitudinem Imperator efficaciam pacti donationis introduxit. Atqui ex supra dictis de Venditore necessitatem absolutam tradendi huic non incumbere, sed praestando interesse sua obligatione defungi constat. Ergo idem Juris in Donatore erit.

§. XXXI.

Atque hanc sententiam ulterius confirmat text. 2. Feud. 26. §. si facta. Ubi Feudista ait: *Si facta de Feudo investitura peniteat Dominum, antequam possessionem transferat: An praestando interesse vasallo liberetur?* quesitum fuit. Responsum est, *pratermissa illa condemnatione Dominum possessionem Feudi, de quo investituram fecit tradere compellendum.* Inquit Feudista: *quesitum fuit.* Quare? & quae ratio dubitandi? Sanè de Jure Naturæ de eo dubitare: *An Dominus Feudi rem de qua*

25

qua Vasallum investivit eamque tradere promisit
præcisè tradere teneatur? ineptum foret. arg. l. 1.
pr. ff. de pact. Ratio igitur dubitandi ex dogmate
illo Juris Romani, quod præstatione ejus quod
interest obligatione sua debitor defungi possit,
cujus Compilatores Juris Feudalis peritisimi erant,
deprompta erat: Quoniam tamen Longobardi ut
populi Germani, æquitatem naturalem magis quam
Juris Romani subtilitates respiciebant, Responsum
est, prætermissa illa condemnatione ad interesse
Dominum ad præcisam traditionem Feudi de quo
Vassallum investiverat compellendum esse.

§. XXXII.

Ex dictis itaque evidenter apparet communem
sententiam de præcisa præstatione rei debitæ ex
Jure Romano defendi non posse, sed manifestum hic
subesse nævum juris istius quem Interpretes quovis
modo, sed frustra tegere conantur. Interim ta-
men in foro & praxi communis sententia ubique
recepta est, quam quidem receptionem etiam non
quidem ideo quia communis, sed quia æquitate
naturali nititur, optimo jure meretur, utcunque
manifestum errorem Juris Romani foveat. Præ-
stat enim in judiciis Christianis ab eo quatenus ra-
tioni naturali & æquitati adversatur recedere,
quam in justitiam naturalem impingere & æquitati
vim inferre. arg. l. 8. Cod. de judic. l. 90. ff. de reg. jur.

l. 5. §. 2. ff. de impens. in res det. fact.

FINIS.

COROLLARIA.

I.

Nomine impensarum funebrium non
veniunt ideoque nec jure prælationis
gaudent impensa in pharmaca & Medi-
cos ob morbum quo debitor obiit.

II. In testamento in scriptis à patre inter ha-
beros condito, etiam nullis intervenien-
tib^o testibus, extraneo quid legati potest.

III. Reus præstito juramento purgatorio
absolutus in expensas non est conde-
mnandus, etiam si culpabilem suspicionis
causam dederit.

IV. Exceptio non numeratæ pecuniæ etiam
ad alias causas præter mutuum per-
tinet.

V. Jus retrahendi proximiori cognato ad-
versus remotiorem cognatum, cui ven-
dita res est, non conceditur.

VI. Nec Domino censūs, si Censitus bona
censitica alienat hoc jus scilicet retractūs
competit.

¶¶¶¶¶

ULB Halle
004 173 341

3



Sl.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
0
Inches
Centimetres

28 696
1707 6.

Dissertatio Juridica,
DE
PRAE CISA
PRAESTATIONE
REI DEBITÆ,
INSIGNEM NÆVUM JURIS RO-
MANI CIRCA HOC ARGUMENTUM EXHIBENS,
QVAM
Annuente DÉO T. O. M.
IN ILLUSTRI ACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA,
PRÆSIDE
VIRO Consultissimo & Excellentissimo
DN. HERMANNO ZOLLIO,
Jcto, Consiliario Hassiaco & Professore Juris in hac Acad.
Primario p.t. RECTORE ejusdem MAGNIFICO.
Publicæ disquisitioni submittit
CASPARUS HENRICUS WILLIUS,
Spangenbergenis-Hassus,
RESPONDENS.
IN AUDITORIO JCTORUM
Ad diem 25. Novembr. An. 1707.
RINTHELI,
Literis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Univ. Typogr.

